



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Saltvs Tevtobvrgiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

gentis conditorésq; Manno tres filios assignant. &c. Quidam autem, licentia vetustatis, plures deo ortos, pluresq; gentis appellationes, Marsos, Gambriuos, Svevos, Vandalios affirmant: eaq; vera & antiqua nomina. Maximè ijs infestus Germanicus fuit, abolendæ infamiæ causâ, ob deletum cum exercitu Quinctilium Varum, à Tiberio in Germaniam missus. Tacit. 1. An. *Ventumq; ad vicos Marforum, & circumdata stationes. Quinquaginta millium spatium ferro flammisq; pervastat. Profana simul, & sacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfane vocabant, solo exquantur.* Idem lib. 2. ipse (Cæsar) majoribus copijs Marsos irrumpit quorum dux Malo vendus, nuper in deditiōem acceptus, propinquo luco defossam Variæ legionis aquilam modico presidio seruari indicat. Causa igitur hujus vastationis, & irruptionis non alia, quàm quod Varum, per fines Marforum ad Amisiam, Dalichium, & Aldenbecam porrectos, ad Visurgim proficiscentem, ab ijsdem & conterminis populis cæsum meminerat. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. c. 11.

SALTUS TEUTOBURGIENSIS.

I. **S**ALTUS TEUTOBURGIENSIS. Meminit hujus saltus Tacitus. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum. haud procul Teutoburgiensi saltu.* Quibus verbis satis designavit, quo loco situs sit, & quærendus, nempe inter desertum Sinedi, & Dethmoldiam, Hornamque oppida, ubi mons Teuteberg antiquum nomen hodie retinet; cui descriptio

scriptio Taciti, & Velleji, ac Dionis de Variâ clade testimonia conveniunt. Lipsius in Tacit. lib. 2. An. n. 211. Reineccius in Poëtam Anony. de Carol. M. lib. 1. Horrion. lib. 2. Panegy. Pad. c. 9. Althamerus in Tacit. de morib. Germ. Fallitur igitur Aventinus, qui in hist. Bojorum. *Teutoburgiensem Taciti saltum cum silva Duisbergensi* in Cliviâ, vicina Rhe-
no, & ab Amisij & Luppia fontibus longè remotâ confudit: atque ex hoc errore in alium lapsus, Varum in eâ cum legionibus cæsum scripsit. Nec retert, quòd ad saltum, qui pro vero *Teutoburgiensi* hîc habetur, non sit *Teutoburgium*, à quo tamen originem istius cognominis petere oportet, minimùm autem *Duisburgum* discrepet. Fuit enim id ipsum oppidulum, quod postea *Thietmallum* & *Dethmoldia* dici cœpit, neque adhuc vetus suum nomen totum amisit. Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 15. & 19. Dietmelle esse antiquum illud *Teutoburgium*, à quo *Teutoburgiensi* saltus cognomen accepit, ipsa hodierna appellatio manifestò iudicat; quippe Diet idem esse nomen quod *Theuth*, jam dudum innumeris argumentis probatum habeo. Atque vulgare quidem fuit hoc tractu vocabulum *Theut*, locis impositum. Nam ab eodem dictus est antiquissimo nomine vicus ille, medio inter *Luppia* fontem & *Theutomellû* situ, *Teutenmeyer*: item oppidulum *Diedenhille*, XV. millibus passuum ab *Theutomello* in orientem versus distitit. Ceterùm apud *Ptolemæum* legitur *Germania* locus, haud procul levâ *Visurgis* ripâ, *Τελοσέργιον*, quod ego vocabulum ex situ & literarum ductu, corruptum esse iudico pro *Τετιβέργιον*. Forfan ab hoc antiquiore *Teutoburgio* Westphalico, in memoriam ejus, appellatum fuit *Teutoburgium* in Pannoniâ, ad confluentes *Dravi* & *Istri*, ubi hodie *Drasad* pagus, *Teutonum*, ut verisimile, colonia, & quantum conjectura assequi licet, à *Sicambris* forfan condita. *Lazius*. lib. 12. comm.

comm. reip. Rom. c. 6. Sicambros enim, ante emigrationem, finitimos Cheruscis, ubi Dethmoldia, & latè in diœcesi Paderbornensi habitasse, ex Dione suprâ probatum.

3. LOCA VASTA. Tum ob solitudinem, tum ob amplitudinem *Tentoburgiensi saltus*, qui in diœcesi Osna-brugensi exsurgens, per Ravensburgicum & Lippiensem comitatum, & totam Paderbornensem ditionem longissimo montium silvarumque tractu porrigitur. Vasta enim loca appellantur, quæ vel magnitudinis terminos excedunt, vel deserta & solitaria sunt, nec sine horrore peragantur. Vossius in etymolog.

3. SISTE VIATOR ITER. Vetus in monumentis, & frequens his verbis compellendi viatorem formula. Meretur hanc moram propter Vari cladem, & victoriam Caroli M. in Romanâ & Francicâ historiâ inclutus saltus.

4. HIC RAPTAS AQVILAS CLADIS MONVMENTA LATINÆ, &c. Tacit. l. i. An. Florus. lib. 4. c. 12. alique suprâ citati.

5. VARI RELIQUIASQUE DVCIS. Tac. lib. i. An. *Hand procul Tentoburgiensi saltu, in quo reliquie Vari, legionumque inssepulta dicebantur*, & locis glebosis caluæ, seu crania hominum disjecta, ossaque passim effodiuntur. Hamelman. in genealogiâ com. Lipp. Ilac. Pontanus lib. i. orig. Franc. c. 9.

6. EGIT ET HIC CELEBREM THIETMALLO TESTE TRIUMPHVM. Celebrem hinc triumphum Carolus M. egit, quia prælio, non auspicijs ejus tantum, ut pleræque alia, verum etiam ductu inito, interfuit, & ingentem victoriam, innumerabili hostium multitudine interfectâ, reportavit; Eginhardus in vit. Caroli. M. Astronomus in reb. gest.